De sarcocele ejusque medela : thesis quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum objectionibus subjiciet sustinereque tentabit, uno et trigesimo die mensis martis, horâ tertiâ vesperi / Alexander Dubled.

Contributors

Dubled, Alex.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typographia C. Thuau, M.VCCC.XXVII [i.e. 1827]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k594pwny

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

27.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO 1827.

DE SARCOCELE EJUSQUE MEDELA;

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum objectionibus subjiciet sustinereque tentabit, uno et trigesimo die mensis martis, horâ tertiâ vesperi,

ALEXANDER DUBLED,
DOCTOR MEDICUS.
VETER ALUMNUS HOSPITIORUM LUTETIÆ, SCHOLÆQUE PRACTICÆ EJUSDEM URBIS.

Σκιρρωδους μὲν ὄντος τῆς ὀγκου, ἀχροιὰ τε καὶ αναίσθησια; κακοήθους δὲ, πονὸι νυγματωδεις.

ΠΑΥΛΟΥ ΑΙΓΙΝΗΤΟΥ

Ιατρου αριστου, βιβλὶον ἕκτον — ξγ = περι σαρκοκηλης

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA C. THUAU,
Viâ vulgò dictâ Cloître-Saint-Benoît, n° 4.

M VCCC XXVII.

COMPETITIONIS JUDICES.

PRÆSES..... ESQUIROL.

JUDICES..... BOYER.
CRUVEILHIER.
DÉSORMEAUX.
DUPUYTREN.
MARJOLIN.
RICHERAND.
CLOQUET.
MURAT.

COMPETITORES.

PATRIX.
MAINGAULT.
COLOMBE.
BELMAS.
CORBY.
BAUDELOCQUE.
BURET.

LEROY.
BLANDIN.
GRAND.
BÉRARD.
HATIN.
DUBLED.

DE SARCOCELE EJUSQUE MEDELA.

PARS HISTORICA.

Ὁκόσοισι κρυπτοι καρκῖνοὶ γιγνονται, μὴ θεραπευειν βέλτιων. Θεραπευομενοι γὰρ απολλυνται ταχέως; μη θεραπευόμενοι δεπλειω χρονον διατελουσι.

Dubium est utrùm in hocce aphorismo Hippocrates includere voluerit præcepta quæ spectant ad sarcocelen; idque fit eo magis dubium, quandò in mente revocatur, celeberrimum Boerhaavium, observatorem doctissimum, testiculos non enumerasse inter varias partes corporis humani, quæ schirro cancrove corripi possunt.

Ad alios ergò auctores recurrendum est, ut vestigia hujusce morbi inveniamus; et inter illos, imprimis numerari debent Celsus, Paulus-Ægineta, Ætius, etc.

Celsus in uno capitulo complectens omnia mala quæ sive in inguine, sive in scroto, oriri solent, et quò facilius ea explicet, paucis naturam locorum exponit.

Mox deveniens ad varios morbos qui in scroto generantur, enumerat enterocelen, epiplocelen, circocelen tandemque sarcocelen quem optime discernit ab inflammatione ipsius testiculi (1).

Non eadem felicitas eum insequitur quando disserit de naturâ morbi. Carnis inter tunicas increscentiam hunc vocat; ad eum curandum scroti incisionem expetit ut ejiciatur ista carnositas, sive forfice, sive scalpello.

Paulus Ægineta, Ætius, non multum à Celso discrepant nihilque aliud animadversione dignum offerunt nisi quod hic satis plane secreverit, sarcocelen ab hydrocele, ille autem scirrhum à cancro

Post Græcos, Latinosque, apparent Arabi, quorum animi ignis pro-

(1) Lib. VII, sect XVIII, sub fine.

prietatibus præcipue imbuti, nihil extra hunc vident, nihil novi de morbo investigant, tantum modo jactitant quæ acceperunt à Galeno, conanturque avertere a curatione per scapellum, ut sæpe formi dolosa.

Hoc ingenium Araborum diù stipavit chirurgos qui postea venerunt; et fateor equidem mentem nostram gravi mœrore affici, quùm inter illos viderim Guy de Chauliac, Fabricium Hildanum, Fabricium d'Aquapendente, etc.

Omnes hunc morbum appellant herniam carnosam, carnem adnatam sive ad testem sive ad vasa. Omnes de incisione scroti loquuntur, ut hæc carnositas, extrahatur, sive aduratur teste relicto. Tandem, plures ex illis contendunt hunc morbum produci sero, testiculum ambiente. Hæc opinio in scientiâ diù permansit.

Sed visu Franco (1), Paré (2), noster reficitur animus, prœcipueque Paré, qui primus contendit, morbum sanari non posse quando supra aperturam musculi externi abdominis procedit; qui primus ope ligaturæ vasa constrinxit, dum ea adureret Franco; tandemque ferè primus totum extraxit testiculum schirro cancrove correptum.

Attamen, quicumque fuerint laude digni hi duo chirurgi, deveniendum est usque ad sæculum decimum octavum, ut optimè dignoscatur saneturque sarcocele.

Ibi apparent Pott, Ledran, Garengeot, Heister, Petit, multique alii qui tunc floruerunt. Naturam sarcoceles vere cancrosam agnoscunt; varios morbi gradus describunt, tandemque indicant, qui sanari possit, qui non.

Sed hæc omnia a re anatomicâ originem ducunt; et sine illa, nullus esse potest chirurgus.

Sequamur ergò hunc motum scientiæ, a chirurgis hodiernis quoque inductum, et priùs quàm ad morbum ipsum accedamus, paucis partium structuram delineemus.

---

(1) *Traité des Hernies*, p. 87.

(2) Liv. VIII, chap. XVIII.

PARS ANATOMICA.

TESTICULI EJUSQUE APPENDICIUM BREVIS EXPOSITIO.

Testiculus, generatim comprehensus, organum est oviforme, transversè complanatum, talique modo in scroto inclusum ut è duobus ejus apicibus unus major, anteriùs sursumque spectet, alter autem minor, posteriùs deorsumque.

Multa testiculi integumenta describuntur. 1°. *Scrotum*, productio cutis vicinæ, sed ab ea discrepans majori laxitate; 2°. *Dartos*, qui substans fibris laxissimis varioque modo intertextis efformatur. Hæc *Dartos* dispositio magni est momenti, ad castrationis operationem instituendam; 3°. quædam, sed raræ fibræ, ad infimam partem tunicæ *erytroides* pertinentes ac, sive *darto*, s-ve parti externæ tunicæ vaginalis junguntur; 4°. hæc ultima tunica, quæ adhuc à græcis *elytroides* vocatur, omnem testiculum obtegit, at non hunc in suo cavo includit, omninòque similis est aliis membranis sero lubricatis : sed insuper hæc tunica vaginalis ita disponitur ut si à teste per scalpellum separari posset, hic supra posteriusque maneret, illa autem antrorsum. Hæc dispositio magni est momenti ad diagnosim instituendum, quandò, ut infrà dicam, sarcocele cum alio morbo miscetur.

Sed testiculus, non tantummodò jam indicatis obtegitur; adhuc ei connectuntur, vasa sive nervuli tenuissimi (1), et horum spermaticum naturalis aggregatio funiculum struit.

(1) Ut hos nervulos persequerer, parietes abdominis insecavi, secundum rectionem ligamenti Fallopii, cristæ iliacæ, ac tandem usque ad ultimam costam

Vasa sunt arteria afferens, tenuis, originem trahens ab aorta, infra renalem, undè decurrit (1) multoties inflexa, nervulis et vena popria, adjunctis, usque ad aperturam musculi externi abdominis. Ibi ei adjungitur canalis deferens, sive efferens, et cum eo egrediens e cavo abdominis, in vaginâ peculiari recipiuntur, quæ, intùs formatur fibris musculosis, exteriùs autem, tela fibrosa, pendens à fascia superficiali, si *J. Cloquet* creditur, à margine autem annuli abdominalis, si professor Marjolin.

Tandem per totum trajectum harum partìm usque ad testem, arteria venaque spermaticæ, anteriùs perstant, canalis autem deferens posteriùs (2).

Hic, propriam animadversionem desiderat. Cum ad infimam partem funiculi pervenerit, ibi posteriùs sese leviter inflectit, pergensque ad imam apicem testiculi, ibi sese incurvat, oramque supernam organi totam percurrit, usque ad summum, sic efformans *epididymum*, in capite cujus vasa seminalia recipiuntur.

Accurata cognitio hujusce canalis deferentis, nec non epidydimi, maximè necessaria est, sive ad diagnosim struendum, sive ad frequentius sarcoceles principium indicandum. Etenim solo tactu, anatome eruditus dignoscere potest canalis duritiem naturalem a morbosâ; ac tandem, quandò nos anatome docuerit hunc canalem, huncque epidydimum intùs vestiri, membrana mucosa, ab urethrali protensa, tunc non mirabimur, quòd testis inflammatio, urethræ inflammationem sæpissimè prosequatur.

Quoad naturam ipsius testiculi intimam spectat, anatome nos docet, exteriùs hunc constitui, membranâ fibrosâ, organi parenchyma, com-

---

spuriam. Deindè peritoneum discutiens, usque ad columnam vertèbralem, ac oculos vertens in caput musculi psoatis, detexi nervulos spermaticos, è plexu renali decurrentes, ac eos persecutus sum usque ad annulum abdominis. Infrà aciem oculorum effugiebant.

(1) Hæc, inter vasa afferentia adnumerari debet.

(2) Cum his adsunt vasa lympathica, ad glandulas lumborum decurrentia.

plectente. Hoc autem parenchyma, ad visum ostendit fibrillas vario modo intertextas, quarum unæ, colore subflavo, aliæ autem, subalbo præditæ sunt. Hæ, natura fibrosa, varia septa efformant; illæ autem, ab his inclusæ, majorique tenuitate instructæ, generatim vasa semen gignantia habentur. Sed, res adnotatione digna! in hacce vasorum tenuitate, dispositio ad obstructionem et indè ad schirrhum jacet.

His peractis, ad ipsum sarcocelen deveniendum est.

PARS PATHOLOGICA.

Hodierni chirurgi, anatome pathologica edocti, nominant sarcocelen, testiculi corruptionem sive *lardaceam*, quæ adhùc *schirrus* vocatur, sive *encephaloïdem*, quæ verè est *cancer* propriè dictus.

Non omnes ætates, nec omnia temperamenta sarcocele afficiuntur: sic jamdudùm observatum fuit, nunquàm pueros (1), rarò, sed aliquandò ab anno vigesimo usquè ad quadragesimum, tandemque plerùmque ab hoc ultimo usquè ad senectutem, homines corripi; indè patet mares sarcocele affici eodem ferè tempore quo cancer mammæ uterive mulierem infestat. Quoad temperamentum, observatio nos edocuit, hunc morbum nervosos, biliosos ac tandem vitam cœlibem agentes frequentius invadere. Morbus sarcocele dictus in uno alterove teste sedere potest, sed rarò: aut ferè nunquam, duo simul afficiuntur, Hujuscemodi exemplum nuperrime vidi in amphitheatro anatomico Nosocomii-Dei. Cadaver hominis, qui tabe cancrosa occubuerat insecabatur, ut malum, originem trahens a teste sinistro cancroso, in abdomen persequeretur. Tota substantia testiculi inventa fuit cancro correpta; inde malum assurgens funiculum spermaticum invaderat, ac in abdomen ingrediens cum vasis, corruperat telam cellulosam, vasa lymphatica, ejusdem generis glandulas, tandemque ren sinistrum, et ibi tumorem cancrosam magnæ molis produxerat. Sed, res conspicua! non ibi malum remanserat; invadens vasa spermatica lateris dextri, cum eis egressus erat è cavo abdominis, ut corriperet funiculum spermaticum, teste sano manente.

---

(1) Omninò et facillimè secerni debet a sarcocele corruptio strumosa, testem infantis aliquoties invadens. Nam tunc extant signa generalia depravationis strumosæ, et insuper, pondus, duritiesque tumoris, cum peculiari indole dolorum, satis planè illum segregant.

Tandem, si testis cancrosus ablatus fuerit, rarò morbus alterum invadit, sed potiùs viscera abdominis (1).

Quid de causis sarcoceles dici potest? Aliquandò post ictum compressionemve testiculi, nascitur; non rarò, post inflammationem organi diuturnam (2). Sed multoties, oritur sine ullâ hujuscemodi causâ prægressa, sicuti optimè notat professor Boyer. Nam, inquit, hic sagax observator : *Combien de fois n'ai-je pas vu cette maladie se déclarer sans que le testicule eût éprouvé aucune lésion externe!* Ac quoque plerique auctores ut hoc phœnomenon explicarent, admiserunt totum corpus infarciri labe quâdam latente, et cujus signa generalia posteà exponemus.

Invasio, progressus, exitusque sarcoceles.

Aliquandò funiculus spermaticus, a morbo primus corripitur; sed plerumque, corpus testiculi, epidydimive invadit, duritiem molemque augens. Hæc aliquando imminuitur, sicut exemplo probat professor Boyer? Hic enim peritus chirurgus, narrat in suâ chirurgiâ, insecasse testiculum schirrosum, cujus moles æqualis erat parvæ nucis. Sed quocumque modo morbus inceperit, perdiù remanere potest, nullum aliud incommodum, ægrotanti afferens, nisi pondus molestum, quod fascia scroti facile levari potest, mœroremque peculiarem, animum invadentem. Post varium temporis intervallum, aliquando post novam contusionem, sed plerumque sine causa, dolor pungens in tumore nascitur. Rara primium, mox fit frequentior, ad lumbosque respondet. Interea moles tumoris adhuc augetur; nodis stipatur; integumenta tumoris, ei adhærescunt; cutis inflammatur; fluctus sub ea percipitur; tandem rumpitur, et indè ulcus cancrosum evenit. Hujus ora extrorsum vertuntur; sanies putrida profluit, et fungositas tactu sanguinolenta innascitur.

---

(1) Boyer, *Traité des Maladies chirurgicales*, tome x, page 256.

(2) Hæc inflammatio, sæpissimè evenit, post urethræ inflammationem veneream, usque ad testem protensam. In hocce casu, sæpissimè chirurgus spem ægrotantis augere potest; ac quoque tunc convenit medicatio discutiens seu distincta (secundum quosdam) ad malum avertendum. Nam tunc stat inflammatio, nulla verò testiculi corruptio.

Dum hæc geruntur in tumore, partes vicinæ paulatim afficiuntur; venæ vicinæ inflantur; glandulæ lymphaticæ intumescunt, durescuntque; eadem funiculo spermatico eveniunt; hic fit tactu dolorificus; nullus est ægro somnus; corpus emaciatur; hoc fit pallidum lividumque; tandem febris lenta ægrum invadit, primum intermittens cum horrore levi, deinde continua. Miserum exhaurit, sudoribus, diarrheâque symptomaticâ; tandem mors, tantis malis, tantisque cruciatibus labefactum, liberat (1).

Talis est exitus hujuscemorbi, si artis beneficio vinci non possit. Sed anteaquam ad curationem accedamus, nonne necesse est, sarcocelen planè secernere ab omnibus morbis quibuscum misceri potest?

De diagnosi sarcoceles. 1°. Si tumor in scroto deprehenditur, qui a teste secerni non possit; si durus, inæqualis, ponderosus, tandemque si accedunt dolores pungentes, affirma hunc esse sarcocelen.

2°. Si testis sit durus, ponderosus, cum mole auctâ imminutâve; si nulla causa externa præcesserit, pronuntia adhuc, eum esse squirrhosum. (Boyer.)

3°. Tandem si tumor non sit magnâ duritie prædita; si nullus dolor, tactu vel non; si sanus funiculus spermaticus, et præcipuè si testiculi præcesserit inflammatio acuta, adhuc expecta, medicatio discutiens, morbum sanare potest. (Dupuytren, Richerand.)

Sed non solummodò sarcocele discerni debet ab inflammatione testiculi; adhuc sunt scroti plura mala, quæ eum mentiri possunt; scilicet, hydrocele, epiplocele.

Generatim in hydrocele prisca, tunica vaginalis fit crassior, humor inclusus vitiatur, fit subfuscus, et tunc evanescunt fluctuatio perluciditasque. In hocce casu, peritus chirurgus, adhuc morbum diagnoscere potest; vidique professorem Dupuytren, feliciter dijudicantem (2).

---

(1) Hujuscemodi horridum exemplum vidi in nosocomio dicto *Bicêtre*, ducente chirurgo *Murat*.

(2) Si fluctuatio percipi potest, anterius inferiusque extat; è contrà, durities posterius. Hæc fluctuatio sedulò discernenda est, ab ea quæ aliquoties in tumore cancroso persentiscitur.

Ex adverso, observationem, doctissimis lectionibus professoris Marjolini excerptam narrabo, probantem quantùm sit, in hocce casu, *judicium difficile*.

Tumor, duritie, tensione, pondereque conspicuus, deferebatur in scroto cujusdam hominis. Hic tumor, à multis chirurgis, sarcocele dijudicatur; doctor *Cullerier*, nuper defunctus, curationem tentat: totus tumor aufertur, et deinde cum ejus sectio instituta fuerit ut natura exploraretur, testis repertus fuit sanus et parietes tunicæ vaginalis crassissimæ, humoreque subfusco extensæ; quod certè non evenisset, si, priusquàm operationem institueret, chirurgus punctione explorativâ usus fuisset. Ergo, in casu de quo agitur, quandò etiam morbus à morbo, non planè dignosceretur, si chirurgus curationem tentare vellet, ejus agendi ratio eadem esset, ac si hydrocele, tractatura erat per incisionem. Hæc agendi ratio jamdudùm instituitur à summo chirurgo nosocomii dicti *Hôtel-Dieu*, et semper felix eventus illam prosequitur.

His propositis, supervacaneum esset dicere, hydrocelen communem, fluctuatione, perluciditateque, semper à sarcocele secerni posse.

Sed non sola hydrocele mentiri potest sarcocelen, adhuc possunt epiplocele, enterocele, quandò funiculus spermaticus primus à morbo correptus fuit: nam si funiculi schirrus testiculi succedat, nulla error in diagnosi stare potest.

Funiculispermatici schirrus incipiens, tactu, ab enterocele epiplocelevę discerni potest; nam ille tactu durus est ac dolorificus, hæ autem, molles, lubricæ, segnesque, *si non incarcerantur*. Insuper hernia vera, extotò in ventrem ingreditur, sive manuum oppositu, sive frigore, sive corporis statu resupino; è contra, hernia spuria, numquam prorsùs aufugit.

Tandem adhuc tactu vasorum, funiculi schirrus sive ab ejus œdemate, sive ab ejus hydrope *incluso* segregari potest, sive a circocele (A).

Sunt adhuc tumores scroti, jamdudùm observati, memoratique sive à Dionis, sive à professoribus Richerand, Boyer, Roux, etc., invadentes testis tegumenta, eum obtegentes, ac qui omnino à sarcocele dis-

cerni debent. Hæc sejunctio facile statui potest revocando in mente, præcepta jam suprà dicta (B).

Non alienum adhuc erit ibi revocare, aliquando extra testem innasci post ictum, tumorem adiposam, multum à sarcocele discrepantem, ac quæ fortasse ab antiquissimis chirurgis plerumque habita fuit hernia carnosa. Chirurgus anglus Lawrence, ejusdem generis octo facta observavit, quibus nititur sua descriptio (1).

Quæ sit natura sarcoceles? Si post ablatum sarcocelen, tumor scindatur, variæ corruptiones deprehenduntur. Si durus, ponderosus, tactuque renitens, tunc videtur fere cartilaginosus, colore subflavo, lardi similis, telaque cellulosa albumine imbuta instructus; hic est schirrus propriè dictus (2).

At, si integer, tactus fluctum perceperit, tunc substantia cerebriformis invenitur, sic dicta propter similitudinem cerebri infantis. Hic est verè carcinoma sive cancer (3).

Hæc ultima testiculi corruptio ab Anglis generatim nominatur *cancer mou;* et a præclaro chirurgo Abernethy, *sarcóme médullaire.*

Non tantùm inter se discrepant chirurgi, de nomine sarcoceles, sed adhuc de naturâ ipsius. Doctor *Maunoir*, in mente habens, eam esse corruptionem vasorum capillarium, proposuit, his ultimis annis, arteriæ spermaticæ deligationem, ad sarcocelen curandum; sed experientia ejus opinionem facile evertit, quoad generatìm naturam canceris.

Sic professor *Dupuytren*, jam a multis annis arteriam cruralem deligaverat, ut pulsantem genu tumorem curaret; qui fuerit exitus? fortasse tumor lentè increvit; sed tandem, anno proximè elapso, naturam verè cancrosam ostendit, ac amputatio femoris institui debuit. Clarus professor *Lallemand*, Montispessulani, simile exemplum narravit.

---

(1) Samuel Cooper, *Dictionnaire de chirurgie.*

(2) Professor Cruveilhier, *Essai sur l'anat. path.*, tome I, pag. 82.

(3) *Idem*, pag. 83.

Tandem cum idem doctor *Maunoir* tractaturus erat tumorem cancrosam, stantem post angulum maxillæ inferioris, ac deligavisset arteriam carotidem, attamen tumor increvit, ac ablata fuit à *Dupuytren*, coràm professore *Duméril*.

PARS THERAPEUTICA.

Ex his anatome pathologicâ indicatis, patet prognosim sarcoceles semper esse malum. Etenim, quotiescumque substantia testis corrupta fuerit, nunquam ei redditur naturalis structura; ac si aliquando medicatio discutiens profuerit (ut certè probat praxis præclarorum chirurgorum Dupuytren, Richerand), tunc dicendum est testem non depravari, sed solummodo inflammatione diuturna corripi.

Ergo si adsint signa tertiâ propositione de diagnosi indicata, ad medicamenta discussoria recurrendum est, scilicet: phlebotomia, hirudines, cataplasmata emollientia, balnea, quies corporis animique, inunctiones cum unguento mercuriali potusque sudorem moventes: si hæc omnia nihil profuerint, tunc ultima spes salutis in ablatione tumoris nititur.

Sed anteaquam ad hanc operationem accedat chirurgus sedula mente observare debet utrum adsit tumor in abdomine, utrum corporis habitûs color vitietur, utrum tandem corruptio funiculi spermatici pergat supra aperturam musculi externî abdominis. Si hæc adsint separatim vel extoto, nulla spes ægrotanti superest; è contra, si nullum tale adsit obstaculum, feliciter operatio institui poterit quæ castratio dicitur.

Instrumenta huic operationi idonea sunt: varii scalpelli, forfices, forficulæ, fila cerata, penicilla varia, quorum quoddam cerato induitur, splenia, fascia scroti, tandem vasa aquam tepidam continentia pluresque spongiæ.

His indicatis ad ipsam operationem devenio.

Æger resupinus collocatur, ab adjuvantibus firmatur; tunc chirurgus, stans a dextro vel a sinistro, palma manûs sinistræ posticam tumoris partem arripit insecatque, partem anteriorem tumoris manu dextra scapello instructa. In primo stadio operationis, cutis, tela subcu-

(1) Quidam chirurgi cutem anterius rugant, ut facilius scindatur; alii eam

tanea pudentesque arteriæ externæ dividuntur : hæ statim constringi debent ope fili cerati. Deindè chirurgus deducens ora vulneris tumorem extrahit, adhesiones destruens sive digitis, sive forficibus sive scalpello. Extracto è scroto tumore, conspiciendus est funiculus spermaticus, ac dum adjuvans testem attollit, chirurgus illum insecat supra malum. Nec interea partem supernam funiculi chirurgus relinquit, è contra eam retinet ut deligari possit sive extoto sive partim. Res conspicua! momento eodem quo nervuli spermatici devinciuntur, ægri vires subito franguntur : hic enim est modus teneritatis nervi sympathetici (Richerand, Physiol. tom. Ier, page 110) : attamen aliquando hæc deligatio nullam ægrotanti molestiam affert.

Si spermatica arteria multoties sit divisa (quod extat inferius), separatim deligetur, sicut optimè docet professor *Richerand.*

Hic modus operandi, plerumquè convenit; sed si cutis ipsa, jam morbo laboret ejicienda est. Tunc operationis primum tempus duplici incisione lunata stipatur, ut cutis cancrosa cum sarcocele auferatur. Tandem si tumor sarcomatosus antè aperturam musculi abdominis staret, chirurgus illum primò detegeret, deindè paulatim funiculum insecans, vasa devinciret, simul atque scinderentur.

Olim arteriæ, non semper filo constringebantur, ac chirurgus peritus Ledran memorat se digitis tantummodò arteriam frangere. Sed clarissimus Pott, qui eodem tempore floruit, nos docet hœmorrhagias indè consequi.

Sarcocele extracto, constrinctisque vasis, vulnus ritè deligatur, ac secundum artis præcepta, ad glutinationem ducitur.

Quænam incommoda hanc operationem prosequi possunt? Inter hæc adnumerantur tetanus, hemorrhagia, peritonitis, tandemque abscessus in foveâ iliacâ, vergentes ad lumbos, ut observavit Petit (2).

---

intendunt pollice indiceque manus sinistræ. Hæ differentiæ parvi sunt momenti.

Animadvertum est insuper hanc incisionem debere protrahi ab apertura abdominis usque ad infimam partem tumoris : hoc est magni momenti.

(2) *Traité des Maladies chirurgicales*, tome II, page 528. Si rari sint abscessus in foveâ iliaca, aliquoties eveniunt in ipsa peculiari vagina funiculi.

Sed fateor me nunquam hæc incommoda observasse dùm alumnus manerem in nosocomio dicto Hôtel-Dieu; ac attamen, illa operatio, multoties instituta fuit, a præclaro chirurgoDupuytren.

At si rarò, castrationem morbi acuti sequantur, non idem denuntiari potest, de morbis diuturnis. Hi morbi diuturni, plerumque invadunt sive glandulas lymphaticas in abdomine stantes, sive renes, sive lien, sive jecur, sive tandem pulmones; stipantur signis cancrosæ tabis quam alibi descripsimus, ac semper, seriùs ociùsve, ad exitum lethalem ægrum ducunt. Tandem si, post mortem, ægrotantium cadaver insecatur, plerùmque in organis suprà indicatis, corruptiones similes earum testis depravati, deprehenduntur.

Hæc nova morbi ingressio, corpus invadens, post sex; octo vel decem menses, à tempore castrationis, quosdam chirurgos impulit ut ab extractione testiculi verè cancrosi averterent. Sed si conspiciamus tabem cancrosam sæpè consequi ablationem testis schirrosi, causâque externa corrupi, tunc dicemus, si nullum adsit obstaculum, ex his prædictis:

Meliùs anceps quàm nullum.

Note de la page 11.

(A) *Facile dignosci potest funiculi schirrus, ab ejus hydrope vesiculari, sive visu, sive tactu.*

1° Visu. *In illo, tumor inæqualis apparet; in hâc autem, æqualis, ac aliquando perlucidus.*

2° Tactu. *In illo, tumor durus est ac dolorificus; in hâc autem indolens, tensus, renitens potiusquam durus.*

A Circocele, funiculi schirrus differt, quia tactu durus est hic ac dolorificus, illa autem indolens mollisque.

Note de la page 12.

(B) *Hi tumores a sarcocele discrepant, 1° majori mole celeriter increscente; 2° ipsorum sede in* Darto; *3° corruptione peculiari adipis in eo inclusæ, quæ augetur vel depravatur schirro; 4° pondere proprio cum mole incongruente; tandem nullâ corruptione, sive funiculi spermatici, sive habitûs corporis, ac nullâ dolore pungente adstante.*

ERRATA.

Pag. 5, lin. 18. *vasa sive nervuli*, lege : *vasa, nervuli.*
= 6, — 8. *harum partim*, lege . *harum partium.*
=Ead. — 17. *etenim solo tactu*, lege : *etenim solus tactus.*
— 8 — 12, *Sed raro : aut ferè nunquam duo simul afficiuntur* : lege : *Sed raro aut ferè nunquam duo simul afficiuntur.*
— 16, — 15. *corrupi*, lege : *corrupti.*
— Ead. *Note de la page* 11, lege : *Adnotatio in paginâ* 11.
Note de la page 12, lege : *Adnotatio in paginâ* 12.

ERRATA.

Pag. 5, lin. 18. post sive nervoli, lege: vasa, nervoli.

— 6, — 5. Eorum partem, lege: Aorum partium.

— 14, — 17. cranio solo iam, lege: cranio solo iam.

— 8, — 12. Scilicet, non fere inquam duo genua differuntur: lege: Sed nuro nat fere inquam duo genua differuntur.

— 16, — 16. corrupi, lege: corrupit.

— 10, — Nota de la page 11, lege: Adnotatio in pagina 12.

— Nota de la page 12, lege: Adnotatio in pagina 13.